

vitetur, quæ sæpe ex æqualitate nascitur, illud
 esse, cum in vna vrbe aut Prouincia, vnus in-
 ter Presbyteros, à cœtu Presbyterorum electus,
 ætate, moribus, & doctrina grauis, habet præ-
 eminentiam in suos collegas, qui extra coitio-
 nem Presbyterorum & Synodum, sit os totius
 cœtus, nec quicquam decernat absque eius
 consensu, eique actorum rationem reddat, nec
 plus potestatis sibi assumat, quàm quantum à
 cœtu acceperit: sublimior quidem sedeatur, sed
 tamen se collegam Presbyterorum agnoscat,
 iuxta canonem 8. Concilij Carthaginensis.
 Reputet Episcopatum nomen esse operis, non
 honoris, vt ait Augustinus, De Ciuitate Dei
 lib. 19. c. 19 Etenim Episcopi nomen denotat,
 non dominium, sed officium: Bernardus de
 Considerat. lib. 2. cap. 6. Per hoc tamen non
 volo non posse stare Ecclesiam sine Episcopis,
 vti censet Andreas Episcopus Wintoniensis,
 cui assentiar quando probauerit Episcopum &
 Presbyterum ordine differre; Episcopum à
 Presbytero, iure Diuino, muneribus, gradu, &
 dignitate discrepare. Sane iuris est Diuini, vt
 omnia in Ecclesia decēter peragantur: est quoq;

C